

potentia autem ad terram magnopere eorum
 pertinens, quae propter effectus claritatem-
 que et magnitudinem in tanta subtilitate
 nosci potuerunt, sicut suo demonstrabimus
 loco. circulatorum quoque caeli ratio in terrae
 mentione aptius dicetur, quando ad eam
 tota pertinet, signiferi modo inventoribus
 non dilatis. obliquitatem eius intellexisse,
 hoc est rerum fores aperuisse, Anaximander
 Milesius traditur primus Olympiade quin-
 quagesima octava, signa deinde in eo Cleo-
 stratus, et prima arietis ac sagittarii, sphae-
 ram ipsam ante multo Atlas.

31

Nunc relicto mundi ipsius corpore reliqua
 inter caelum terrasque tractentur. summum
 esse quod vocant Saturni sidus, ideoque mi-
 nimum videri et maximo ambire circulo ac
 tricesimo anno ad brevissima sedis suae
 principia regredi certum est; omnium autem
 errantium siderum meatus, interque ea solis
 et lunae, contrarium mundo agere cursum,
 id est laevum, illo semper in dextra praeci-
 piti. et quamvis adsidua conversione inmen-
 sae celeritatis attollantur ab eo rapiantur-
 que in occasum, adverso tamen ire motu per
 suos quaeque passus. ita fieri, ne convolutus
 aer eandem in partem aeterna mundi verti-
 gine ignavo globo torpeat, sed fundatur ad-
 verso siderum verberere discretus et digestus.

32

33